



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Artic. V. De Resurrectione sanctissimæ Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

Qualis  
fuerit co-  
mitatus fu-  
nebris.

talitatis fuit, uti referunt antiqui Auctores, ex traditione id accipientes. Sanctus Joannes ducebat chorum, primusque incedebat, portans in manibus suis palmam, quam Angelus attulerat ipsi à cælo, annuntians illi suæ mortis horam; Sanctus Petrus & alij Apostoli portabant ipsius corpus, & alij adstantes partim stipabant, partim sequebantur illud, nonnulli cum alto & venerabundo silentio, alij cantabant hymnos, & omnes id honorabant juxta vires suas: Et hæc ratione deduxerunt, & deposuerunt illud in monumento protinus novo tenui eo quidem & simplici, sed pretiosiore & splendidior cunctis Mausolæis superbissimorum & ditissimorum Regum terræ. Sed in quo loco erat hoc monumentum, interrogavit Iulianus.

Omnes ferè Auctores, respondet Viator noster, conveniunt in hoc, quòd fuerit in valle Josaphat, in loco Gethsemani propè sepulchrum Domini nostri. Perstitit id integrum nonnullis annis,

usque ad tempora Vespasiani & Titi, quando tota adæquata est solo Jerosolyma, ubi & monumentum Sanctissimæ Virginis ita suis sepulchrum est ruinis, ut nemo amplius ipsius habuerit cognitionem, usque ad tempora Imperatoris Martiani & Imperatricis Pulcheriæ, quibus temporibus per diligentem inquisitionem inventum est tandem, sed ita absconditum sub antiquæ Jerosolymæ ruinis ac ruderibus, ut per sexaginta gradus descendendum fuerit ad illud; modò apertum est, & ostenditur Terram Sanctam inv. sentibus peregrinis; sed inane est, & nihilominus exhalat adhuc nescio quos odores cælestes, quibus fuerat perfusum, eò quòd receperit & custodierit per aliquos dies pretiosissimum Corpus Sanctissimæ Virginis. Quòd igitur devenit sacrum hoc depositum? Interpellat Chrysantus; Quisnam sustulit illud à monumento suo? Ubi commemorati modò memoratur? Intelliges id illicò, respondit Viator.

## ARGUMENTUM.

### *De Resurrectione Sanctissimæ Virginis.*

#### ARTICULUS V.

Probatio  
quòd Cor-  
pus san-  
ctissimæ  
Virginis sit  
in cælo.

**C**UM Sanctissimæ Virginis Corpus nullibi sit in terris, nec ulla mundi pars fuerit unquam gloriata, possidere se pre-

tiosas has Reliquias, vel minimam solùm illarum partem, dicendum igitur est, id esse in cælo: Hæc univ. est mens totius Ecclesiæ, quæ



quæ annuatim celebrat Festum Assumptionis ipsius tantâ cum magnificentiâ, ut ad exprimendum gaudium, quod concepit ex illâ, incipiat eo sine huius diei Missam ab hisce verbis latitiz: *Gaudemus omnes in Domino.*

Hic accinit testimonium sacræ Scripturæ, quæ est tam clarè nō dicat, ipsam resuscitatam esse, & assumptam Corpore & Animâ in cœlum; n̄hilominus plures habet sententias, pluraque verba, quæ in hoc sensu exponuntur à Sanctis Patribus.

Suffragatur eidem universalis omnium Catholicorum Doctorum opinio, qui unanimiter nos docent, nosque ad credendum inducunt efficacissimis, validissimis & evidentissimis argumentis, quibus possunt, Sanctissimam Virginem esse in cœlo cum Corpore & animâ.

Tandem id probant rationes

clarissimæ, piissimæ & luculentissimæ, quæ allegari possunt ad probandam & stabilendam aliquam veritatem: An sufficiat introduce- re tibi loquentes omnes hosce testes, ad persuadendum tibi veritatem Resurrectionis Sanctissimæ Virginis?

Novimus, quatuor tubas mittendas esse è cœlo in fine sæculorum, ut fortiter suum emittant sonum in quatuor mundi partes, unde quatuor oriuntur venti, & ubi vis dent signum universalis Resurrectionis omnium corporum humanorum: Sed ecce alias quatuor tubas validas, quæ publicent & evulgent ubique in universo mundo Sanctissimam Virginem resuscitatam jam esse & assumptam in cœlum Corpore & Animâ. Quatuor hæc tubæ sunt Ecclesiæ, Scripturæ, Sancti Patres, & Ratio.

§ I.

*Prima tuba, quæ publicat in mundo Resurrectionem Sanctissimæ Virginis, est Ecclesia.*

Ecclesia magnificè celebrat Festum Assumptionis SS. Virginis in universo orbe.

**A**udite resonare primam, quæ est Ecclesia: Emittit hæc vocem suam eodem tempore in omnes mundi Christiani partes in die triumphi huius Regiæ Cœlorum; celebrat ipsa divina mysteria magnificentissimis cum cæremonijs, Symphoniâ, Organis, campanarum sonitu, & numeroso crepitu tintinnabulorum induta & excul-

ta omni eo, quem possidet, pulcherrimorum ornamentorū splendore. Ipsa annuntiat & explanat omnibus filijs suis per ora prædicatorum Admirabilis huius Matris magnificentias, ipsius applaudens gloriæ per elogia ac carmina lætitiæ, dum interim ipsa deportatur ab Angelis in cœlum cum Corpore & Animâ. Quis videns Eccle-

Q q q q q 2. siam



fiam hisce abreptam gaudijs, non credat veritatem mysterij, quod tantâ celebrat cum magnificentiâ?

Magnificentiâ admirabilis Regine Semiramidis.

Deprædicata est olim mirum in modum gloria Regine Semiramidis: Illustrissima hæc Princeps moderabatur quadraginta per annos Monarchiam Assyriorum tantâ cum Sapientiâ, tantâ cum animi fortitudine, tantâque cum felicitate, ut generosè superaverit, sibi que subjugaverit Æthiopes, ut deleverit potentissimum exercitum Regis Indorum, ut thesaurorum suorum profusione, juxta suæ splendorem magnificentie, complanati fecerit montes, ut conficeret semitas reatas & ambulatu faciles in toto suo imperio, & plura adhuc præstiterit in suorum utilitatem populorum, quos amabat tenerrimè: siquidem, ut redderet campos fertiles, qui ut plurimum steriles erant ex defectu aquæ, prospexit illis de magnâ aquarum abundantia, trahens Amnes ac fluvios ex proprio suo alveo, illòsque divisit & distribuit ubique per canales vel aqueductus, ad irrigandum universam terram. Exantlavit ulterius magna alia facinora, plures egregias confecit actiones ævternâ dignas memoriâ; unde monumento suo, ad divulgandam suam gloriam, hoc inscribi jussit Epitaphium: *Me natura quidem mulierem finxit, ego vero meis gestis nulli fortissimorum Virorum inferior se-*

Berosius lib. 5.

ti: Adjungere autem poterat: Natura me fecerat nasci mortalem, sed virtus me resuscitavit, ac immortalem reddidit in memoriâ omnium sæculorum.

Magnum profectò & gloriosum hoc esse videtur, verum quid sit comparatum cum gloria Regine Angelorum hominumque? Ipsa non solum moderata est partem quandam Nationem, sicut Semiramis; sed totam Mundi Christiani gubernavit Monarchiam auctoritate suâ & consilijs suis ab Ascensione Domini nostri: Ipsa non solum devicit Barbaros Æthiopiæ, sed exterminavit sola hæretes & hæreticos ubivis terrarum: *Cunctas hæretes sola interemisti in universo mundo.* Ipsa non prostravit exercitum Regis Indiarum; sed suo contrivit pede Caput Principis tenebrarum: *Ipsa conteret Caput eum.* Ipsa non complanavit semitas terræ, sed complanavit ac faciles reddidit vias cœli exemplis suis, ac potenti intercessione suâ; ipsa tandem non deduxit flumina aquarum, ut ubivis redderet terram fecundam; sed procuravit nobis & obtinuit à DEO torrentes gratiarum, quæ reddiderunt Sanctam Ecclesiam aded fecundam, ut non cessaverit producere ab eo tempore, plurimos fructus vitæ æternæ, Martyrum, Confessorum, Sanctarum Virginum, & spiritualium divitiarum infinitarum thesaurum.

Hera



Hem quàm gloriosum Epitaphium inscribendum foret ipsius monumento? Nimis quàm parum est insculpere illud Semiramidis: Natura me nasci fecit mulierem, sed mea virtus me reddidit viris superiorem. Ast dicendum foret: Supergressa sum omnem excellentiam Angelorum in cælo: Nimis parum est dicere; Immortalem me reddidi in memoriâ hominum, sed dicendum foret; Reipsâ immortalis sum, omnique refulgens gloriâ & corpore & Animâ, & ut talem me honorat & militans & tri-

umphans Ecclesia. Adscribendum igitur foret idem Monumento ipsius Epitaphium, quod non scripserunt, sed pronuntiârunt Angeli super illo Salvatoris nostri: *Sur* *rexit, non est hęc*: Ecce locum, ubi posuistis illam; is modò est vacuus, eò quòd ipsius corpus non ampliùs sit in terris, sed in cælis, in throno gloriæ. Ecce tubam Ecclesiæ, quæ luculenter Resurrectionem ipsius annuntiat vobis: an scitis percepistis eam? percipite modò illam Sacræ Scripturæ.

Epitaphium  
monumenti  
Sanctissimæ  
Virginis.

## §. II.

*Secunda tuba, quæ ubi vis annuntiat Resurrectionem Sanctissimæ Virginis, est Sacra Scriptura.*

Quid dicere ipsa vult in psalmo centesimo trigesimo primo, alloquens DEVM hisce verbis: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuæ*: Quis dubitare potest quin loquatur JESU Christo collocato in monumentum suum, postquàm suam deperdidit vitam, in pugnis & laboribus Passionis suæ? An permanebis semper, Domine, sic oppressus, sic obrutus horrendorum cruciatuum tuorum pondere? Surge, resuscita te ipsum, & intra in requiem tuam; *Surge Domine in requiem tuam*. Ecce, quod manifestè hæc verba dirigantur ad JESUM Christum.

Sed quid sibi volunt hæc alia,

quæ sequuntur? *Tu & Arca Sanctificationis tuæ*: Quænam est hæc Arca, pro quâ ipsa similiter expectat resurrectionem, vel vaticinatur, ipsam quoque resurrectionem, nisi Sanctissima Virgo? Nonne ipsa vera est Arca, quæ conclusit Manna Cœli; & Tabulas legis DEI in personâ Unigeniti Filij sui, quando portavit ipsum in Virgineo sinu suo? Et sicut Manna & Tabulæ legis figuræ erant JESU Christi, sic Arca antiqui Testamenti, quæ illa includebat, figura erat Sanctissimæ Virginis. Sed quare DEVS tam expressè mandavit illam fieri ex ligno incorruptibili, nisi ad significandum incorruptibilitatem Corporis Sanctissimæ Virginis? ipsa igitur

re probans  
Resurre-  
ctionem  
Sanctissimæ  
Virginis.



igitur est, de qua loqui intendit. Sacra Scriptura in hoc textu includente duas resurrectiones, illam JESV Christi, & alteram Sanctissimæ Matris ipsius: Tu & Arca Sanctificationis tuæ. Et sic intelligunt illum cum Sancto Damasceno plures alij, qui hoc Scripturæ testimonium allegant ad probandum Resurrectionem Sanctissimæ Virginis.

s. Damascena.

Secundus textus probans Resurrectionem ejus.

Psalm. 120.

Quid ulterius vult dicere Scriptura, quando dirigit hanc orationem ad DEVM: psalmo 120. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Ipsa postulat à DEO, ut magnâ curâ custodite velint introitum suum in mundum, & exitum suum è mundo: hæc enim duo periculosissima sunt itinera; unum ad introitum, alterum ad exitum; duo laquei hi sunt nobis positi, quosque evitare non possumus. Ad nostrum introitum in mundum peccatum originale nos expectat, ad nostrum exitum è mundo expectat nos mors; peccatum facit perire animam, & mors perire facit nostra corpora. Ecce infelicem sortem omnium filiorum Adæ, initium ipsorum & finem, introitum ipsorum in mundum, & exitum ipsorum è mundo, qui ambo summè sunt deplorandi!

Sed admirabile omninò privilegium est pro Sanctissimâ Matre DEI, quamvis ipsa vera sit Adæ Filia, nec introitus ipsius in mundum, nec exitus ipsius è mundo

habuerunt quidquam funesti. In introitu in mundum peccatum originale non sauciavit animam ipsius, & in exitu è mundo non corruptit nec destruxit mors Corpus ipsius; Ipsa semper fuit innocens & Sancta in suâ Conceptione, & in suâ Nativitate; semper integra, & incorruptibilis in suâ morte & in suo sepulchro. Sic duo termini vitæ ipsius, initium & finis, sua singuli habent privilegia, & hæc privilegia sunt inseparabilia. Ubi peccatum semel habuit introitum, trahit post se mortem & corruptionem, sed ubi peccatum accessum nunquam habuit, mors etiam nullam nocendi habet potestatem. Cum ergò tam certi simus, quòd Sanctissima Virgo nunquam fuerit sauciata à peccato originali, cur certi etiam non simus, Virgineum ipsius corpus violatum & destructum non esse à morte? Ecce credamus concessisse DEVM ipsi privilegium primum, quod majus est, citra quòd concesserit ipsi quoque alterum, quod longè est minus, quosque non nisi alius est consequentia? Ecce custodit erit solummodò ipsius introitum, & non custodierit ipsius exitum è mundo? Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.

Vis semel adhuc percipere Scripturam, quâ ratione annuntiet Resurrectionem ejus, audi, quomodo loquatur in capite tertio Cantecorum in personâ, Domini nostri, qui

Introitus in mundum, & exitus è mundo: In uno triumphat de peccato; in altero in morte.

Tertius textus probans, ipsius Corpus esse incorruptibile, qui



qui conversus ad Sanctissimam Matrem suam, suavissimis his ipsam alloquitur verbis: *Veni in hortum meum Soror, Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus*: Ecce cur invitat ipsam in hortum suum, non ut colligat flores, aut comedat fructus, sed non nisi de myrrhâ ipsi loquitur, & unguentis aromaticis? Hem quis nescit, quâ idonea hæc sint & aptissima ad conediendum corpora mortua, & redediendum illa incorruptibilia?

Vult igitur ipsi dicere: Vide, quod elegerim mihi hortum in loco Gethsemani, in valle Josaphat, inter montem Sion & montem olivarum, ubi commorari volui tempore vitæ meæ; hic elegi quoque habitationem post mortem meam, hic meum habere volui sepulchrum; hic similiter inveni incorruptibilitatem per myrrham repræ-

sentatam: hic post tres dies sepultura inveni resurrectionem ad vitam immortalem, insinuatam per aromata, & boni odoris suffimenta in altum ascendentia: *Veni in hortum meum*: Veni Mater mea, sepulchrum tuum sit meo proximum, participem te faciam myrrhæ meæ & aromatatum meorum, invenies ibi sicut ego incorruptibilitatem, resurrectionem & immortalitatem: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Oportebat imitari ipsam Unigenitum Filium suum in vitâ suâ, in morte suâ, in sepultura suâ, & in Resurrectione suâ.

Audistis satis canoram Sacrarum Scripturarum tubam, quæ annuntiat Virginis Sanctissimæ Resurrectionem; accommodemus modò aures illi Sanctorum Patrum.

\* \* \*

§. III.

*Tertia tuba, quæ ubi vis deprecatur Resurrectionem Sanctissime Virginis, sunt Sancti Patres.*

**H**ÆC clariori tono & voce magis intelligibili resonans, manifestat nobis incorruptibilitatem Corporis Sanctissimæ Virginis in monumento suo, Resurrectionem & immortalitatem ipsius. Sanctus Augustinus, qui in omnibus est primus & sublimissimus Doctor Ecclesiæ, asserit credendum nobis esse, quod JESUS Christus, qui in vitâ suâ tanto honore affect-

Corpus Sanctissimæ Matris suæ, ut <sup>ginem Re-</sup> <sup>laxetide,</sup> assumere voluerit partem Carnis ipsius, & ex eâ formare sibi ipsi Corpus, non reliquerit Virgineum hoc Corpus ultimo naturæ humanæ oppressum opprobrio, quod corruptio est & putredo; quod cum vitam suam humanam hauserit ex sinu ipsius, & purissimorum uberum ipsius suxerit lac, non permiserit ipsum fieri pabulum & escam

Augusti-  
us pro-  
cipus  
esse  
Vir-



escam vermium: Potuit enim verò, inquit, tam bene custodire ipsius corpus à putredine mortis, uti custodivit animam ipsius à putredine peccati; potuit utrumque, quia est omnipotens: Si dubitare non possumus, quin potuerit, dubitare etiam non debemus, quin voluerit; eò quòd is infinità ratione sit bonus, & illam solam magis amet, quàm cæteras omnes creaturas. Verùm si pari ratione certum est, quod & potuerit, & voluerit, quid dubitationis, movere possumus, quin verè & reipsà id præstiterit? Scriptum est enim: *Omnia quacunque voluit, fecit.*

Psal. 134.

Probationes efficaces, quibus ostenditur incorruptio Corporis Sanctissimæ Virginis

Adjungit hæc verba, quæ digna sunt pietate & summâ eruditione ipsius: Si Deus conservare voluit non solùm corpora trium puero- rum in fornace Babylonicâ, sed etiam ipsorum vestimenta in medio ignis tam succensi, tamque ardentis, ut omnes eos, qui vel paululùm appropinquabant, consumplerit; Ecur credatur magis habuisse cordi servorum suorum vestimenta, quàm proprium Corpus Sanctissimæ Matris suæ? Si conservare voluit in vitâ Jonam inobedientem in ventre ceti, qui more succensa fornacis exarsuans, ipsum illicò debuisset consumere; cur dubitetur, quin conservaverit à corruptione mortis Corpus propterea Matris suæ, tam obedientis, tamque innocentis? Itane Daniel conservatus fuerit à dentibus fameli-

corum Leontum, quin devoraverint ipsum; & Mater Dei consignata fuerit dentibus mortis, ut comminueret & in pulverem redigeret ipsam? Itane credamus, quòd conservaverit ipsius animam ab omni genere peccati, eò quòd futura esset Mater Dei; & non credamus, quòd ipsius corpus ab omni genere corruptionis, postquam jam extiterat Dei Mater?

Eccur non ponderas, ipsam officium Matris Dei exercuisse magis secundùm Corpus suum, quàm secundùm animam suam, eò quòd sacrum ipsius Corpus suppeditaverit Corpus Filio Dei, ipsius autem anima animam non suppeditaverit ipsi? Quis ergo distabitur, quia pretiosam hoc Corpus, quod vestit Deum suum substantiâ humanâ, quod nutrit ipsam lacte uberum suorum, quod reddidit ipsi tanta alia obsequia, meruerit, ut non esset pabulum & esca vermium? Oportebat, ut in remunerationem vestimenti mortalis, quo induerat illum, ipsa vestiretur immortalitate gloriosâ; quis enim credere posset, Corpus hoc Virgineum, Angelorum reverentiâ dignissimum, relictum esse in terrâ, & consignatum fuisse monumento, ut ibi putresceret & devoraretur à vermibus? Sanctus Augustinus fatetur, indignam hanc cogitationem sibi parere horrorem, nec audere se id dicere: *Illud sacratissimum Corpus, de quo Christus Carnem assumpsit.*

S. Augustini serm. de Assumptione tom 9, c. 2.



sumpsit, escam vermicibus traditam. consentire non valeo, dicere pertimesco. Sic sanctissimus Doctor loquitur magnâ cum reverentiâ de Corpore Sanctissimæ Virginis.

An opus est adhuc aliâ tubâ, ut concordet cum hâc, & clariùs adhuc annuntiet hanc veritatem? Audite Nicephorum: Hic citat Juvenalem Episcopum Jerosolymitanum, dicentem, se accepisse ex antiquissimâ traditione, quod per tres dies, quibus Corpus sanctissimæ Virginis quievit in suo monumento, Apostoli semper permanerint ibi, cantantes hymnôs, & audientes cum reverentiâ harmoniam cœlestem, quam modulabantur Angeli ad idem hoc monumentum; cum autem post tres dies non ampliùs perciperent illam, crediderint, pretiosum hoc depositum esse sublatum: appuerunt igitur monumentum, & non invenerunt ampliùs ipsius corpus, sed

solum linteamina, quibus involutum erat, uti acciderat ad monumentum Salvatoris nostri: Hinc toti abrepti gaudio, reddiderunt grates Deo, evibrârunt in cœlos sua post ipsam voca ac desideria, & reversi sunt ad loca Missionum suarum, ad evulgandum hæc portenta in universâ terrâ.

Consule Sophronium sermone de Assumptione Sanctissimæ Virginis, ubi fuse loquitur de Resurrectione ipsius. Consule Sanctum Joannem Damascenum in sermone de Dormitione Virginis. Consule Sanctum Athanasium, cujus magna est auctoritas in totâ Ecclesiâ. Audi ferè omnes Sanctos Patres, qui hæc super re eadem ratione loquuntur. Sed an opus sit testimoniorum umbrâ ad afferendam lucem veritatis, quæ hodie velut sol refulget in universâ Ecclesiâ? Audienda est igitur tuba quarta, quæ est illa rationis.

§. IV.

*Quarta tuba, quæ cunctis mortalibus annuntiat Resurrectionem Sanctissimæ Virginis, est ratio.*

Quæ ratio credendi esset, admirabilem hanc Matrem privilegiatam non fuisse in morte suâ, sicut fuerat in suâ Nativitate, in Conceptione Unigeniti Filij sui, in partu ejusdem Filij, & in tot alijs rebus, in quibus videmus, ipsam subiectam non fuisse legi communi totius naturæ humanæ, sed semper

exemptam ex privilegio dignitati Matris Dei consentaneo?

Lex communis requirit, ut omnes nascamur filij iræ, id est, omnes involvamur velut complices criminis primi nostri parentis; sed privilegium Matris Dei est, ut ingrediatur mundum à primo momento Conceptionis suæ cum per-

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

R R R R R scdâ



Gen. 4. v. 7. *fecit quaedam innocentiam, & nulla peccati macula sit in illa: **Tota pulchra es, & macula non est in te.***

Lex communis est, ut omnes mulieres desinant esse Virgines, quando sunt Matres; sed privilegium singulare Matris Dei est, esse Virginem Matrem stupendo quodam prodigio, quod possibile non est, nisi Omnipotentiae Dei. Lex communis condemnat omnes Matres, ut magno cum dolore suos pariant filios: *In dolore paries filios tuos*: Sed privilegium speciale Matris Dei est, peperisse Filium suum Unigenitum absque ullo dolore corporali, sicut illum conceperat absque ulla sensibili voluptate.

Gen. 3. v. 16.

Gen. 3. v. 19.

Tandem Lex communis, quae condemnat omnes filios Adae ad mortem, exigit ipsos omnes reduci in cinerem: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Sed quae verisimilitudo, quod in puncto hoc unico Sanctissima Virgo nullo posita fuerit privilegio? Itane obligata fuerit subire rigorem legis ceterorum filiorum Adae, quae particeps non fuerat ullius ex omnibus peccatis ipsorum? Itane ipsa illorum involvatur supplicio, quae in alijs omnibus gaudet privilegijs, quibus eximitur à cunctis communibus naturae legibus? Itane credatur, ipsam non nisi in hoc solo adjudicatam fuisse legi communi omnium peccatorum, quorum corpora putrefiunt & corrodantur à vermibus in monumentis suis. Ubi

est animus vel levi religionis, aut reverentiae erga Sanctissimam Virginem sensu imbutus, cui horrorem non pariat haec cogitatio, quae non dicat cum Sancto Augustino: *Sentire non valeo, dicere pertimesco.*

Verum asseram hic secundam quandam rationem, quae mihi videtur adhuc efficacior; pondera illam bene. Si corpus Sanctissimae Virginis non permanisset incorruptibile, si non resurrexisset, si translatum non fuisset in caelum, necessarium asserendum foret, Filium Dei, qui condidit legem de honorandis parentibus, Patre & Matre, quiq; tam perfecte semper illam observavit, parum observasse illam respectu Sanctissimae Matris suae, multoque minorem Matris suae Corpori reddidisse honorem, quam reddat corporibus servorum suorum, quae velut pretiosa Lipsana honorantur in terris, quae cultui exponuntur in Altaribus, quae circumducuntur auro & gemmis pretiosis, ad quae populi, principes, presbyteri, omnes Christiani catervatim confluunt ad reverendam illam? sed nihil ejusmodi videmus, quoad corpus Sanctissimae Virginis; quo enim in loco mundi asservatur? quò conceditur peregrinatum ad videndum & honorandum illud? Ubi est pretiosa Lipsanoteca, quae includitur? ubi sunt lampades aureae & argenteae ante sacrum hoc Corpus, dies noctesque accensae?

Corpus sanctissimae Virginis non honoratur in aliquo terrae loco, ergo debet esse in caelis.

de



de h's omnibus non fit sermo in ullo orbis totius loco.

Itane ergo id solum ex omnibus corporibus Sanctorum permanebit ita incognitum, contemptum & omnis expers in mundo honoris? an feriatur illud horrendo hoc anathemate, quo percussit olim impios Deus? *Reliquia impiorum inscribunt.* Absit talem unquam in cordibus nostris fovere blasphemiam. Non, Sanctissimum Virginis corpus non est in terris, terra digna non est possidere illud; est in cælo, quod solum est dignum, ut sit templum gloriæ ipsius; non habent mortales pretiosas ipsius Reliquias in terris, deest facultas illis debito honore eas prosequendi, non nisi Angelorum in cælo est ipsas dignè revereri.

O amantissime Deus! amabilissime JESU! cum dixeris in Evangelio tuo: *volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus:* Quis unquam magis minister tuus fuit, quam corpus Virgineum Sanctissimæ Matris tuæ? Illud te genuit ex propria substantiâ suâ: Illud beatus in hoc, quam cælum Empyreum, porrauit te novem mensibus in castis visceribus suis, successivè semper effingendo te; Illud nutritivè te uberum suorum lacte, replens venas tuas pretioso sanguine, quo miseros redemisti peccatores; illud impendit tibi tempore infantie tuæ omnem curam, & cuncta obsequia, quæ fidelis Ma-

ter impendit filio suo; illud toties portavit te in brachijs suis; tu non ambulabas, nisi per pedes ipsius, non operabaris nisi per manus ipsius, non loquebaris etiam nisi per os ipsius; illud denique tibi reddidit omnia necessaria servitia in totâ vitâ tuâ mortali.

O Rex Regum? O Supreme mundi Monarcha! Video Reges terræ ingentem habere servorum numerum, & jam ab unguiculis ipsius dari ministros quàm plurimos, aulamque parvorum horum principum jam esse permagnam & admodum frequentem; sed tu non habebas pro famulitio tuo nisi sanctissimam Matrem tuam, ipsa sola & Sanctus Joseph, quem comitem habebat, constituiebant totam aulam tuam; sed zelus ipsius prospiciebat de omnibus, ipsa sola tanti tibi erat, quanti centies milleni alij, ad exhibendum tibi ardentissimo cum amore omnia servitia, quæ cæteræ omnes creaturæ simul exhibere tibi potuissent. O fidelem! O dignissimum! O incomparabilem Ministrum!

Dic ergo illic Domine: *Ut ubi ego sum, illic sit & Minister meus.* Loquere Corpori amabilis hujus Matris, tam bene, quàm Animæ ipsius; Eoque illud sit, quod magis visibilia, magis luculenta tibi exhibuit servitia. Loquere illi de cælo, & dic ipsi: Veni Minister mi, sequere me in cælum, sicut sequeris me in terris; volo, ut ubi

Rrrrr 2 ego

*Magnus Minister JESU Christi per Excellentiam erat Corpus Sanctissimæ ipsius Matris.*

Mal. 1. 6. v. 33.

Mat. 23.

JESUS Christus non est esse servum, sed ipse est, quare mater



ego sum, illic sit & Minister meus; nihil magis æquum, nec magis congruum est bonitati talis Domini, & fidelitati ejusmodi ministri. Et sanè, cum hæc gratia concessa sit pluribus Sanctis, esse corpore & animâ in cœlis, uti sunt illi, qui resurrexerunt eo tempore, quo JESUS Christus moriebatur in Cruce, ita referente Sancto Evangelio, quo privilegio (sicut creditur) etiam Sanctus Joseph stuitur; quanto magis credibile est, Sanctissimam Virginem post obitum suum illo potitam esse? Nihil ma-

gis conforme est amori talis Filij, nil magis conveniens talis Matris dignitati, ita est, ipsa secuta est illum Corpore & Animâ in cœlum; Non amplius quærenda est nobis in terris, nec deinceps loquendum de illâ velut in terris existente; sequamur ergò ipsam in cœlum. Sic residuæ omnes Consultationes non erunt, nisi de ipsius Assumptione, de gloriâ ipsius Animæ, ipsiusque Corporis, de ipsius Coronis, & de supremâ, quàm exercet in Cælo Empyreo, potestate.

\* \*

## CONSULTATIO XXVII.

*Pondus Ignis, ubi agitur de mysterio Assumptionis Sanctissimæ Virginis.*



Unquam non audi-  
vi Ecclesiam, quæ  
gubernatur à dire-  
ctione Spiritûs San-  
cti, ita bene ac-  
commodasse Evan-  
gelia omnibus Festis, quæ per an-  
ni totius decursum celebrantur, ut  
nihil sit convenientius. Nihilô-  
minus cum in præcipuâ Festivitate  
Sanctissimæ Virginis, quæ est ipsius  
Assumptionis, assisterem nuper sa-  
cificio Missæ, cantati Evangelium  
audiui, quòd nec verbò ipsius  
mentionem facit, quòdque judicio  
meo, nihil habet conformitatis

cum mysterio, quòd die illo cele-  
bratur.

Desumptum id est ex decimo  
Capite Evangelij Sancti Lucæ, ubi  
is recenset historiam Visitationis,  
quâ JESUS Christus honoravit  
Martham & Magdalenam in ipsa-  
rum Castello in Bethaniâ. Tenor  
illius hic erat: *In illo tempore in-  
traivit in quoddam Castellum, &  
mulier quædam Martha nomine ex-  
cepit illum in domum suam; Et huius  
erat soror nomine Maria, quæ e-  
tiam sedens secus pedes Domini,  
audiebat verbum illius: Martha  
autem satagebat circa frequens mi-  
nisse.*

Cur Ecclesia  
ponat hoc  
Evangelium  
in Festo As-  
sumptionis,  
cum ali-  
hil de Festo  
loquatur.

Luc. 10.

Nihil  
bene  
mit  
rim  
sump  
sancti  
Virgi  
quam